

reemptionis titulo pro quadringentis et quinquaginta aureis similibus — emi et comparari ac nobis eisdem ipso de medio sublato offerri et praesentari fecit et disposuit cum supplicatione tam humillima quam devota, quatenus sic nobis oblatos census in domino acceptare et dicto altari s. Hieronymi pro dote et sustentatione rectoris temporalis eiusdem unire incorporare et appropriare necnon altare illud sic dotatum et provisum in beneficium ecclesiasticum temporale seu manuale erigere creare et confirmare auctoritate nostra ordinaria dignaremur. Nos igitur Johannes episcopus — huiusmodi in nos fusam supplicationem tanquam iustam et rationabilem duximus admittendam — censusque et redditus — comparatos — acceptantes praefato altari unimus — ac altare ipsum in beneficium manuale sub modificatione infrascripta erigimus creamus et dei nomine confirmamus per praesentes etc. Decernimus praeterea et iuxta praefatorum doctoris Lucae ac proconsulis et consulum dispositionem et voluntatem ordinamus, ut altare istud futuris perpetuis temporibus per praedicatorem magistrum artium aut alias in theologia sive iure canonico in aliqua universitatibus Alamaniae promotum non religiosum ad nutum plebani in Pirna assumendum et destituendum manuteneatur et regatur, quem totiens quotiens pronunc prout extunc pro tempore tantum quo praedicator ibi est ad populum eidem praeficimus et praesesse volumus, sic tamen quod morigerus et obsequiosus erit domino suo plebano, qui in tabula sua cibum seu mensam largam, potu nisi aliter inter se convenerint excluso, habitationem etiam cum camera et stuba in parte inferiori domus parrochialis sibi ministrare et assignare tenebitur. Faciet autem praedicator huiusmodi in ecclesia parrochiali sermones ad populum omnibus et singulis diebus dominicis et festivis celebribus aliisque festivis licet non celebribus, si et in quantum domino suo plebano visum fuerit expedire et quotienscunque in aliqua ebdomadarum totius anni nullum occurrerit festum, in quo praedicare habeat, extunc feria sexta talis vacantis ebdomadae et praesertim in adventu domini et quadragesima, ubi praeter ipsas ferias sextas singulis etiam feriis quartis tenebitur praedicare, proviso quod in sermonibus dierum dominicarum librum mortuorum eo legente pro fundatoribus huius altaris et institutionis tam vivis quam defunctis generalem ad populum ut fieri consuevit faciat petitionem. Cum vero beneficium detur propter officium, volumus ut dictus praedicator et altarista pro tempore existens singulis ebdomadis, usque quo officium praedicationis et altare ipsum tenuerit, ad quatuor missas in eodem legendas, unam de sancta trinitate, aliam de beata virgine, tertiam pro peccatis, quartam pro defunctis fundatoribus et eis omnibus qui consilium vel auxilium foundationi praesenti dederunt, pro quibus et in reliquis per eum legendis missis generalem facere orationem astrictus sit et obligatus. Quod si exequiae aliquae defunctorum diebus certis dominicis per anni circulum fuerint peragenda, idem praedicator et altarista ad requisitionem plebani sui, missa pro fundatoribus defunctis alias in ebdomada celebranda posthabita, requiem sive missam eandem pro defunctis dominicis cantabit diebus. In solemnitatibus quoque apostolorum vespas praevias atque missam diei et in summis etiam festivitatibus plebano absente vel indisposito vices eius cantando et thurificando implebit. Rursum in eisdem maioribus festivitatibus parrochialis ipsius et s. Nicolai ecclesiarum indulgentias diligenter tenebitur populo in suis sermonibus insinuare et denuntiare ac